



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Capitvlaria Regvm Francorvm

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae
doctissimorum virorum

Baluze, Etienne

Parisiis, 1677

CLVII. Adriani IV. epistola de excommunicatione Matthaei Ducis
Lotharingiae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-22974

tionem bonam, sine alicujus contrarietatis obstaculo; & post obitum suum remaneant filiis vel filiabus de Guilielmo Raimundi in se procreatis; & quod Beatrix in vita sua non impediat suæ jam dictæ partis honorem vindicatione, impignoratione, vel donatione, vel aliquo modo quo filiis suis & Guilielmi Raimundi ad perditionem veniret. Sed Milites ipsi stent in hominio Beatricis usque ad obitum ejus. Excepto hoc Beatricis hominio, ipsi Milites serviant Guilielmo Raimundi, & sint sui, & habeant solidos. Actum est hoc Nonas Julij anno xxviii. regni Ludovici Regis. Signum Guilielmi Raimundi, Signum Beatricis, qui hanc convenientiam laudaverunt & firmaverunt. S. Raimundi Comitit. S. Reamballi de Baseia. S. Raimundi Renardi. S. Petri Bertrandi de Bello loco. S. Bernardi de Bello loco. S. Berengarij de Cheralto. S. Bernardi Guilielmi de Vaciano. S. Guilielmi de Pugalto. S. Poncij scriptoris Comitit, qui hoc scripsit die annoque præfato.

CLVII.

*Adriani IV. epistola de excommunicatione
Matthæi Ducis Lotharingie.*

An. 1155.
Ex schedis
c. v. An-
dree Du-
chelaj.

Adrianus Episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus Metensi & Virdunensi Episcopis & dilectis filiis G. Præposito & R. Decano Treverensis Ecclesiæ salutem & apostolicam benedictionem. Notitiam vestram non credimus ignorare qualiter sacrosancta Romana Ecclesia Matthæum Ducem pro castello Gundulfovillæ, quod ante civitatem Tullensem erexit, excommunicationi subjecit & à communione fidelium reddidit alienum. Sanè cum ille iniquitatis filius percussus saltem emendari debuerit, de corrigendo quod male gesserat cogitare super dolorem ejusdem civitatis adjecit, & Tullensi Ecclesiæ Vischitacum & alias villas, Ecclesias, possessiones, & multa alia præsumpsit auferre, multisque ipsam molestiis & rapinis non desinit fatigare. Per præsentia itaque scripta vobis mandando præcipimus quatenus eum excommunicatum publicè nuntiatis, & in terris ipsius in vestris episcopatibus constitutis, præter baptismum parvulorum & penitentias morientium, omnia divina prohibeatis officia celebrari, & inviolabiliter ab omnibus eandem sententiam servari faciatis. Si quis autem constitutus in clero eidem sententiæ contraire præsumperit, ut tandiu à beneficio suo reddatis cum & officio alienum donec de tanto reatu satisfactorius ad apostolicam sedem cum literis vestris accedat.

CLVIII.

Henrici Episcopi Tullensis privilegium concessum monasterio sancti Mansueti.

An. 1161.
Ex archivo
S. Mansueti
Tullensis.

IN nomine sanctæ & individue Trinitatis Patris & Filij & Spiritus sancti. Henricus Dei gratia Leucorum minister & servus dilecto filio suo Iohanni Abbati sancti Mansueti ejusque suc-

cessoribus & ceteris fratribus sub regula beati Benedicti ibidem Deo militantibus in perpetuum. Pastoralis officij cura exigente gregi nostro vigilanter debemus incumbere, & talentum nobis à Deo commissum fideliter erogando, amicos, qui nos recipiant in æterna tabernacula, utile & salubre est nobis acquirere. Eapropter salutem nostram providendo, utilitati fratrum beati Mansueti consulentes, & verituti hominum presentium & posterorum occurrentes, ut totius exactionis injustæ & calumniæ occasio in perpetuum præamputetur, & omnia ad pacem & unitatem de cetero referantur, Iohanni Abbati sancti Mansueti & ipsi Ecclesiæ, assensu & voluntate Domini Theoderici nepotis nostri Archidiaconi civitatis, reddimus Albricum Presbyterum parrochiæ sancti Mansueti cum suis successoribus ex parte nostra & Archidiaconi & Archipresbyteri liberum, eo videlicet tenore ut quicquid juris & debite subjectionis in eo ex dignitate pontificali habebamus, Abbati suisque successoribus cum cura animarum contulimus, quatinus ab ipso Abbate suisque posteris Presbyteri qui ibidem fuerint ordinandi vicarij, ipsam curam suscipiant. Ita tamen quòd Archidiaconus & Archipresbyter ecclesiasticam justitiam, cum opportunum fuerit, super parrochianos exercent, præter ministeriales, scilicet Villicum, Decanum, Scabinionem, & famulos Ecclesiæ feodatos & præbendarios quotidiana ab Ecclesia fumentes stipendia, à quibus, si forte in causa animæ in aliquo fuerit erratum, presentibus Abbati & futuris dimittimus corrigendum. Presbyter verò ab Abbate consilio fratrum suorum prævenit gratia divina ad parrochiam vocatus, investitura curæ de manu Abbatis suscepta, præbenda quam ei pro vicaria sua instituerit, absque relictione contentus erit. Quòd si ultra quàm quod ordinatum est quæserit, & super hoc controversia vel aliqua molestia emergerit, si animo intus respicere noluerit, hanc alterationem amore vel iudicio rescindere in Abbatis sit plenaria potestate & dispositione, cui vice Pontificis de culpis & negligentis suis Presbyterum decrevimus respondere. Pro hac verò libertate Presbyterorum super parrochia sancti Mansueti concessa, in anniversario nostro singulis annis septem solidos ad mensam monachorum & refectorem pauperum ab Abbate suisque posteris persolveri constituimus. Decernimus etiam causa nostræ salutis & memorie ut terras & vineas censuales & decimales ad præfatam Ecclesiam pertinentes quicunque tenuerint, si debitos census certis diebus sive temporibus persolvere ex aliqua protervitate dissimulaverint, ante altare beati Mansueti eos ad satisfactionem vocare, & si post tertiam vocationem venire neglexerint, vel presentibus satisfacere iustitiæ aliqua dolo sitate subterfugerint, sententiam excommunicationis in eos proferte. Hanc igitur donationem superius ita distinctam, ad ipsius confirmationem per presentia scripta sigilli nostri impressione signata, successoribus nostris mandamus, suppliciter eos in Domino deprecantes ut morem quem ab aliis sibi exhiberi vellent juxta illud, *Quæcunque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis*, debito fraternitatis affectu nobis impendant, donumque